Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



Cum enim diuersa et dissona de creacione mundi eiusque
conditore senserunt vt merito condemnent. Aristoti-
les enim quatuor ponit in mundi creacione causas i.
principia coeterna scilicet opificem et formam quam
ipse ydos vocat facientis propositum. Plato enim quinque
materiam opificem formam facientisque propositum et
ydeam i. exemplar. Milesius duo s. ignem et aquam
Item Cyprianus duo s. maue et athomos et ex atho-
mis quatuor elementa facta asserit mundumque sine
vtore casu regi voluit. Cuius sententia Si vera esset
iam dudum mundus ex contrariis partibus constans
in antiquum redisset chaos scenicorum. Alii duo prin-
cipia ponunt s. materiam et artificem. Alii tria
hiis apponunt s. quando locum vbi motum cum quo deus
mundum creauit quomodo ergo vera dixerunt qui tam diuersa
senserunt. Non enim vnum esse potest quod diuersum est.

70. Iuuenius Rogo te ait Que fuit necessitas
vt deus tam credule mortis genus pro homine
pateretur. Cum ipsum per hominem vel per ange-
lum liberare potuisset. At ille Nulla inquit necessi-
tas inquit vrgebat deum sed sua miseracio. Sua
disposicio fuit et voluntas vt hic qui hominem vice-
rat ab homine qui simul esset et deus vinceretur.
Nam neque angelus neque homo carnales ad hoc
ydonei erant. Lucinius ait Certe indignum michi
videtur vt hic deus pro homine paciatur. At ille non
stultum dixeris sed potius dignacionem dei pensa